

331.

A. + Ω.
DISPUTATIO ACADEMICA
AETERNITATIS
CONCEPTU FORMALI
Quam
AETERNI NUMINIS AUSPICIO
Amplissimi & Spectatissimi
SENATUS PHILOSOPH. SUF-
FRAGIO.
Sub PRAESIDIO
VIRI
Praeclarissimi
DN. M. JOHANNIS CHRISTO-
PHORI Hundeshagen MOLHUSA
THURINGI Amplissimæ Facultatis Philo-
sophicæ Adjuncti,
Publicæ φιλοσοφίας disquisitionis sistit
AUT. ET RESP.
JACOBUS MATTHIAE
Hamburg.

Philos.

D.

58

XXXII. 13.

In acroaterio Philosophantium

Act. Soc. JENAE,

Typis SENGENVVALDI.

M, DC. LXV.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



Præfamen.

Annum ortum suum ducere à Prometheo autor est Plinius l. II. in procœm. dum refert: Prometheus ferre a catena Caucaso affixum à Jove captivorum, quos visum venerat, precibus defatigato libertati restitutum esse, hac lege & conditione, ut in gratam sempiternæ captivitatis & recuperatæ libertatis memoriam annulum è catena fabrefactum, & frustillo è Caucaso Adamantis ad instar ornatum, digitoq; insertum gestaret. Hæc equidem Poëtam produnt, sed interpretem desiderant, mortales scilicet ini-
quissimo Satanæ jugo subjectos Deus oriēs ex alto visitavit, miserosque immensa sua bonitate adductus ex æterna suppliciorum, quibus luebant, ærumna in lætissimum pristinæ libertatis statum revocavit, serio inculcas, ne aliquâ ratione committerent, quo tantorum erga se beneficiorum memoriam ulla unquam deleret oblivio, sed incomparabilem
ÆTERNITATI Sannulū, quo per gratiosissimam illam vi-
sitationem donati sunt, nunquam non gratissima recordatio-
ne colerent; quem in finem quoq; D. T.O. M. menti humanæ
à prima statim nativitate indidisse videtur, quod singulari
quodam amore & desiderio considerationis sui ortus tene-
tur. Hæc me imprimis, ut animum ad præsentem materiam
applicarem, impulerunt: quamvis insuperabiles eam pre-
mere difficultates non sim nescius: æternitatem enim ex-
pendi quidem, comprehendimine, cogitari, ast explicari

sufficienter à nullo mortalium posse censemus: id quod etiam
calculo suo stabilitum ire D. Gregorius non dubitavit in-
quiens: cum homo de æternitate dislerit cœcus de luce
loquitur. Æternitas quippe nullis Dialecticis argumentis,
nec Arithmeticis numeris, nec Geometricis dimensionibus
mensurari potest. Est enim circulus in se recurrens, cuius
centrum SEMPER, circumferentia NUNQVAM. Est an-
nulus sine termino, qui nulla sui parte definit, sed in se sem-
per revolvitur. Est Oceanus, cuius altitudo nulla bolide
investigari potest. Est spatum immensum, quod nullo o-
culo pervadi, nullo cursore confici potest. Est infinitus an-
norum processus, quorum singula momenta novas annorum
parit myriades: durat siquidem Æternitas quam diu
Deus erit, hoc autem non est effari; Nam quod infinitum,
quodq; æternum, omnium excedit mortalium capacitatem.
In Æternitate sufficienter comprehendenda, ejusq; natura
rite & perfecte explicanda bebescit acies subtilis Scoti,
hallucinatur Thomas D. ille Angelicus, hæret acutus Mē-
doza, stupet Aristoteles, miraculum illud naturæ, silet Socra-
tes sapientissimus. Verum sicuti non exiguum dementiæ in-
curreret notam, qui sibi ad omnimodam & omnib; numeris
absoluta æternitatis notitiam descendere posse persuaderet;
ita non minorem pessime sue indolis nequitiam proderet, qui illam,
quam nobis natura in banc rem inquirendi facultatem concescit, ex-
colendam esse negaret: quare Doctoris Angelici vestigiis insistamus,
qui sic ait: sicut in cognitionem simplicium oportet nos venire per
composita, ita in cognitionem Æternitatis oportet nos venire per
tempus. Ipsum E. opus pro virili aggrediamur. Quem nostrum
conatum Deus Trin-unus Spiritus sui s. gratiâ promovere; Lector
verò benevolus suo favore sublevare & prosequi velit. Fiat! Th. I.



31

H. I. Vocabulorum enucleationem
sæpenumero, in gravissimis quoque contro-
versiis, rebus non contemnendam illumina-
tionem promittere, eorumque indolis igno-
rantiam præcatissimam contra errorum ex-
hibere Lernam, cum non raro experiri datur,
non possumus, quin & impræsentiarum **Æ-**
TERNITATIS sive **ÆTERNI** origini variæque ipsius signifi-
cationi aliquantis per antè inhæreamus, quam ad ipsius rei con-
templationem nos conferamus. **Æternum** & **eternitatem** descen-
dere ab ævo, ita, ut **eternus** idem sit, ac **æviternus**, in ævum durans,
vel ab ævo existens, communis fert opinio. Scaliger de caus.
L.L. cap. 31. derivat ab æthere, ut idem sit quasi ætherinus sive æ-
thernus, sicut à vere vernus originem trahit. Alii, ut Svarez.
disp. 50. secc. 3. num 3. **æternum** dici putant tanquam *extra ter-
minum*, eò quod hæc duratio est interminabilis. Quod Latini
per **æternum** Græci notant per *αιδίον*, quod *αἰών* τὸ *αἰώνιον* semper
derivant; unde & Latini **sempiternum** dicunt. Similiter *αἰώνιος*
deducunt *αἰώνιος αἰώνιος* ab eo, quod semper est, ut adeò *αἰώνιος*
vix vocis idem sit ac **sempiternus**. Hebræi dicunt **עוֹלָם** à quo
Latinum olim, quod notante Servio in i. Æneid. tres temporis
differentias significat: **עוֹלָם** dicitur à latendo, abscondendo,
quod nempe terminus & finis æternitatis lateat & nobis fit oc-
cultus. Tantum de *εἴρημολογίᾳ*.

Th. 2. Non unam quoque hujus vocis acceptationem esse,
ne iis quidem obscurum esse poterit, qui tam in sacris quam pro-
fanis scriptis suspensa etiam manu versantur. Sic in abstracto
æternum dicitur (1.) quod initio & fine durationis caret, quæ
significatio princeps est, & propriè huc spectat. (2.) **æternum**
dicitur, quod durationem aliquo modo habet interminabilem,
veluti quod à parte post non habet terminum, et si à parte antè
habeat terminum, i.e. et si inceperit: Sic damnatio impiorum &

▲ 3

vita

vita piorum dicitur æterna, sic etiam visio beatifica dicitur æterna. (3) *Æternum* significat id, quod est inseparabile ab aliquâne, sive ea res sit æterna, sive non, seu quod est alicui rei ita conveniens, ut ipsi necessariò ac semper competit; sic hominem participem esse rationis, capacem disciplinæ, aptum ad videntum, dicitur æternum esse: quas propositiones & similes Philosophantium natio vocat propositiones æternæ veritatis; sic Horatius dixit: *serviet æternum qui parvo nesciat uti*, h. est, ab eo, qui nescit uti mediocritate & parvitate suæ fortunæ inseparabilis erit servitus. (4) *Æternum* quoque dicitur illud, quod valde diu durat, et si utrinque sit terminatum, hoc significatu jungatur circumcisioni, quando dicitur fœdus æternum, quia diu duravit et si alii æternitatem ejus dicant compleri in antitypo. Sic S. Literæ montes & colles appellant æternos. Prolixior in recentis vocabuli hujus acceptationibus est Benedictus Pererius lib. 12, cap. 8.

Th. 3. Hisce præfloratis ad definitionem Æternitatis ipsam recte properamus tramite. Boëthius l. 3. de consol. Phil. propos. 2. definit Æternitatem, quæ scilicet DEO competit: quod sit interminabilis vita tota simul & perfecta possessio. In hujus definitionis explicatione, multum desudant Thomas p. 1. q. 10, art. 2. & Pererius l. 12, de temp. c. 9. Armandus de Bello visu l. 2. Term. c. 63. & alii, qui ferè ad unum omnes in diversas distrahuntur sententias, adeò, ut solum id agere, idque moliti videantur singuli, quo definitioni huic peculiarem induant sensum. Pererius l. c. hisce mentem suam proponit: *eternitas dicitur interminabilis, quia quod vere est æternum, caret terminis durationis, quib[us] duo sunt, unus initium durationis, alter finis, utroque autem caret æternum; in quo licet intelligere discriminem eternitatis ab aev[o], & tempore; tempus habet utrumque terminum durationis, estque ante ac post terminabile: aevum autem habet tantummodo alterum terminum durationis, nam caret fine, habuit tamen initium; quare ante quidem terminabile est, quamvis post sit interminabile, æternum vero est utrinque interminabile.* Vitæ; quia quod est verè ac propriè æternum, illud etiam est vivens. Deinde quia vivere tam significat ipsum esse viventium, cum vivere viventibus sit esse, & ipsam durationem, dicitur enim aliquid vita brevioris aut longioris, secundum ipsas operationes

37

tiones viventis, eas in quam, quas vocant immanentes, intelligere namque & velle Philosophi appellant vivere, cum igitur nomen vita simul significet ipsum esse durationemque viventis, & ipsius actiones, ut significaretur quod est verè eternum, id non modo secundum esse, sed etiam secundum actiones ejus immanentes, eternum esse; ideo in definitione eternitatis positum est vita potius quam esse aut durationis, (tota simul) tempus nulla in parte quantumvis parva, est totum simul; instans solum est totum simul, cum sit indivisible, verum hoc nec est tempus, aut pars temporis, nec manet nisi uno momento: Eternitas autem est tota simul, qua in re distinguitur à tempore, & semper eadem manet, qua ratione differt ab instanti temporis; quam ob rem recte solet vocari eternitas, unum nunc stans, nunc quia indivisible ac totum simul; stans, quia manens & durans; tribuimus aut eternitati dies & annos, præteritum, præsens & futurum propter modum nostrum intelligendi, nos enim non apprehendimus simplicia, nisi per composita, nec intelligibilia & spiritualia, nisi per sensibilia, & corporalia, nec deniq; eterna, nisi per temporalia: sicut autem intelligimus, ita nominamus, non igitur mirum est, si eternitate exprimamus vocabulis summis ex tempore, eiq; assignemus differentias temporis. Eternitas enim eminenter continet omnem durationem temporis & coëxistit omnibus differentiis temporum. Sed quid est eminenter continere durationem temporis? nempe durationem, quam habet tempus imperfecto modo h. est sine ulla permanentia, & cum perpetua successione præteriti, præsenti & futuri, eam durationem habet eternitas perfectissimo modo, h. est totum simul sine ulla innovatione ejus aut variatione. Perfecta hoc additur, vel ad differentiam ipsius nunc temporis, quod quidem est totum simul, sed cum puncto tantum temporis maneat, habet imperfectam admodum durationem; vel ad differentias eorum quae sunt in aeo; cujusmodi sunt Angeli, qui habent imperfectam immutabilitatem & permanentiam, nimirum tantummodo secundum esse, non autem secundum naturales operationes. Possessio ad significandam immutabilitatem & indeficientiam eternitatis positum est vocabulum possessoris, quia quod possidetur firmiter ac quiete tenetur. Hæc Pererius habet, quæ omnia ad verbum huc apponere nulli dubitavimus, cum multa sobrie & convenienter dicta in sece contineant.

Th. 4. Franciscus Svarez in disp. Metap. 50. secc. 3. §. 6. ào
data expositione non nihil recedit, & se sequenti ratione expe
dire.

dire voluit: in eo quod dicitur tota simul significatur carentia successionis; cum vero dicatur interminabilis vita &c. significatur carentia omnis mutationis possibilis in ipso esse, quia ipsi idem est esse & vere; cum denique dicatur perfecta possessio, indicatur illam carentiam successionis esse debere non tantum in ipso esse, sed etiam in omni perfectione, & in omni aeterno acturei aeternae. Atque hoc ratione solus DEUS aeternus est, quia solus ipse habet illam necessariam stabilitatem in esse, & in omni perfectione, & interna operatione. Dico autem semper (§. 7.) in internis aetibus aut motibus, quia licet in externis aetibus aut denominationibus, que ex iis resultant, possit esse successio avarietas, hoc nihil obest verae aeternitati. Sic enim Deus creare incipit & a creando desistit. Res in tempore movet actione temporali & successiva absq; variatione vel diminutione sua aeternitatis. Sed quanquam vis deri potest minus conveniens differentia, quia non sumitur ex his, que formaliter ac per se pertinent ad rationem durationis, sed ex adjunctis & extrinsecis. Respondeatur (§. 9.) quod in objectione sumitur ex parte verum esse, etiam nihilominus dictam differentiam aptè atque sapienter à D. Thomate tradidam esse. Nam si primariam differentiam adsignare velimus, in hoc positum est, quod aeternitas est duratio per se & ab internis secundum necessaria, & a nullo pendens, & consequenter omnino immutabilis, tam per internam capacitem, quam per omnem extrinsecam potentiam, quæ omnia indicantur in illa particula: interminabilis vita &c. Ita Suarez rem hanc exponit.

Th. 5. Franciscus de Oviedo P.C. 16. p. 2. n. 1. paulò aliter mentem suam prodidit dicendo. Aeternitas Deo tantum competit, & differt à duratione successiva, quia haec non est tota simul, differt ab hac & à quibusunque aliis durationibus, quia aeternitas sive increata duratio est interminabilis, reliqua vero durationes terminum habent, quia in tempore coepiunt, imò etiamsi ab aeterno incepissent, & in aeternum permanerent, ab illis summè differret aeternitas DEI, quia ita fuit ab aeterno, ut non poterit non esse, neque posse non in aeternum permanere, semperque independenter ab omni alio subsistit, reliqua vero durationes defectibiles sunt & dependentes, & ita si contigisset alio quam ab aeterno fuisse, & in aeternum non defecturam esse, hanc perpetuam durationem haberet dependenter à voluntate DEI, qui antecedenter posset illam non producisse, sicuti de factō modo illam non produxit. Hac ratione sola DEI duratione seu aeternitas perfecta possessio dicitur,

citur, quia nunquam potest perire. Hæc sufficient ex Autoribus
prælaudatis, & in hanc Boëthii descriptionem commentantibus
adduxisse, quorum varietate si quis nondum satiatur, adire po-
terit Anton. Ruvionem l. 4. Phys. tract. posterior. de Æternitate
& Ævo n. 75. Collegium Conimbr. l. 4. Phys. c. 14 q. 3. art. 1.
Morisanum Coment. Phys. d. 6. quæst. 4. p. m. 433.

Th. 6. Quamvis verò hæc descriptio apud Doctores Scho-
lasticos sit receptissima, ab iis tamen discessum faciunt B. Schei-
blerus Opere Metaph. l. 1. c. 16. de Durat. tit. 4. a. 2. Ebelius Col-
leg. Metaph. Disp. 17. secc. 2. artic. 1. Et B. Hornejus Disp. Theol.
3. secc. 2. §. 64. eamq; non sequuntur. Et quidem non sine prægan-
tibus causis moti, multa enim in hac definitione desiderantur,
quæ paucis in apricum producturi sumus.

Th. 7. Prius igitur quam aleam jaciamus, monemus in
antecessum, ea, quæ in explicatione hæcenus à Scholasticis alla-
ta fuerunt, ut plurimū bene se habere, sed per illa Æternitas for-
maliter & abstractivè, prout etiam essentialiter differt ab ævo &
tempore, non ἀκριβῶς definitur; etenim per talem definitionem
non definitur Æternitas præcisè, sed æternitas DEI, qui sicut es-
sentialiter æternus est, ita etiam immutabilis & independens;
quæ attributa, uti ab æternitate distinctè à nobis in DEO conci-
pi possunt, licet à parte rei non differant, ita formaliter sub æter-
nitate non comprehenduntur: aliud enim est Æternitas forma-
liter considerata, aliud est æternitas ad certum subiectum ap-
plicata; sicuti aliud est animalitas, in genere, aliud verò animali-
tas in homine. Dicis: nulla datur alia æternitas, quam ea, quæ
est in DEO. Bz verum hoc est, quod de facto nulla alia detur
æternitas, an autem possit alia, quæ in creaturas quoque cadat,
dari, infrà dispiciemus, in eum E. locum nî jam assentiri velis,
dissensum suspende.

Th. 8. In definitione Boëthii porro dicitur, quod æter-
nitas sit interminabilis *vite* tota possessio. E. ad æternum Boë-
thius cum suis affeclis requirit, ut vivat. Jam posito, quod la-
pis à DEO, qui ab æterno fuit omnipotens, fuisset productus,
ille lapis non habuisset vitam, & tamen habuisset veram duratio-
nem. E. vel ad ævum pertinuisse illa, vel ad tempus, vel ad æ-
ternitatem; non ad ævum sicuti infrà videbimus, nec ad tempus.

B

quod

quod ab omnibus conceditur. E. ad æternitatem. Et quomo^ddo quæso vita æternitatis esse formale ingrediatur? quippe quæ in eo absolvitur, quod sit duratio principio & fine carens, sive id, cui competit æternitas, vitæ sit particeps, sive expers, nihil per hoc detrimenti vel augmenti accedit æternitati, ut tali.

Th. 9. Insuper hoc etiam nomine aliquis huic definitio- ni dicam scribere jure potest, quod Genus & definitum non ejus- dē prædicamenti pomoerio continentur; idque non est difficile probatu, nam *possessio*, quæ vicē generis sustinet, pertinet ad præ- dicamentum *Habere*; quis autem ad idem prædicamentum ausit referre æternitatem? Hæc enim formaliter est duratio quædam, quæ, cum sit è numero transcendentium, certis alicujus Catego- riæ Cancellis circumscribi seu includi nescit. Minus recte igit- tur Æternitas, ut species, possessioni, tanquam generi, subjicitur.

Th. 10. Obiter circa Svarezii expositionem animadver- timus, eum humani quid passum, dum in voce INTERMINABI- LITAT. S independentiam includi autumat, cum vocis hujus nativa significatio nihil præter negationem terminorum expri- mat, nullatenus verò quandam independentiam, quod quidem Vir ille alias inter Scholasticos non infimi subsellii nobis sed si- ne fundamento obtrudere conatur. Alia Scholasticorum circa hanc definitionem paradoxa studio prætermittimus, quæ, num ad mētem primi ejus Autoris rectè adhibetur & explicetur (de- finitionem enim hanc suam originem Platonis debere, à quo eam non ad æternitatis in abstracto, sed in concreto, Entis nim: æterni naturam exprimendam, adhibitam & fabricatam esse Gassien- dus observat) non adeò solliciti sumus.

Th. 11. Missâ. E. morbida hâc Scholasticorum æternitatis definitione, properante pede nos ad meliorem substituendam, accingimus. Quemadmodum autem in explicanda alicujus nit, & proprium sive eum, per quem ab aliis distingui- rei natura ad duos conceptus cum primis respiciendum est, communem scilicet, seu eum, in quo res illa cum aliis conve- tur, ante omnia in verum Æternitatis genus inquirere nostrum fore arbitramur, nullum autem ei convenientius accommo- dari posse censemus, quām si dicatur: DURATIO, à cuius conce- ptu cum ævo & tempore æqualiter participat. Dari Duratio- nem,

29

nem, nem in em equidem, qui sanx menti licet, in dubium vocari posse reor, ideo in eo probando non immorabimur, saltim hoc uno verbo addimus, quod Duratio vere ac propriè nulli tribui possit, nisi illi, quod vere & realiter aliquid ponit in esse, seu entibus realibus, entia autem ficta, & quæ objecive tantum rationis dicuntur, propriè non dicuntur durare. Inquirendo vero, in quonam Durationis ère pycia & ratio formalis posita sit longioram moram necesse operæ pretium ducimus; quippe in quo palladium præsentis negotii situm videtur. Sed quanta hujus rei præstantia, tantus hic se offert Autorum dissensus, ut ex tantâ varietate certi quid electuro aqua hæreat. Verum si rem reditæ reputaveris via, ut plurimum in eo impingere Autores reperi es, quod attributum aliquod durationis aut quid ei extrinsecum maximè conjunctum tamen loco ipsius substantiaz durationis venditant, vel etiam nonnullis ipsa inquisitionis via errorum suorum fomentum quasi & materia existiterit, cum enim duration (quod etiam de æternitate verum est) sit ex eorum classe, in quæ mens nostra non fertur, nisi mediatis rebº apud nos existentibus, ideo dum durationis in abstracto, & æternitatis naturam ad temporis nostri genium metirentur, temporis indolem & proprietates durationi in genere & æternitati applicarunt, & sic lambentes vitrum pultem non attigerunt. Quare ante omnia hic monendum censemus, à duratione quatenus hic consideratur ut Genus, absterendum esse omne extrinsecum, quod ipsi alias cōpetit, quatenus certæ speciei seu temporis est adstrictum. Deinde nos non considerare hic durationē, quemadmodū intellectus noster eam solet sibi imaginari, sed quatenus in se & formaliter datur. Nonne meritò ab omnibus risu exciperetur aliquis qui DEUM seu Angelum quendam, (quos ut plurimum noster intellectus sibi sub viri alicujus forma solet effingere & imaginari,) substantiam corpoream esse, defendere non desisteret. Quod cum primis etiam de Æternitate observare juvat.

Th. 12. Agite nonnullorum de Duratione opiniones subincudem & censuram nostram vocemus, quo dictis nostris lumen aliquod adfundatur, speramus. Thomistarum communis circumfertur de Duratione sententia, teste Suarezio d. 50. l. 2. n. 7. statuentium omnem naturam durationis consistere in ratione & relatione mensuræ. Quæ opinio, ut eò melius & re-

Et iūs innotescat, ex Fonseca aliisque notandum est : Mensuram esse in dupli differentiā, alia est Perfectionis, quæ scilicet rerū perfectiones metitur ; unde illud tritum : Primum, hoc est perfectissimum, in unoquoq; genere est mensura cæterorum, talis acceptio non est $\pi\varrho\circ\varsigma$ $\pi\alpha\rho\circ\tau$: alia autem est mensura extensionis, quæ rursum duplicitis generis, vel enim sumitur activè, vel passivè, hæc dicitur illud, per quod res apta est, ut mensuretur ab alio, & idem est quod mensurabile, scilicet per mensuram activè ; illa, id vocatur, per quod sive quo alia mensuramus, sicut ulna, qua pannum mensuramus. Quamcunque autem sibi impræsentiarum acceptancem velint intellectam Thomistæ, causâ suâ tamen excidunt : Duratio namq; in genere, non est mensura passivè accepta, nam hoc admissio illa justo nimis coarctatur, hoc enim modo privaretur nobilissimâ specie suâ æternitate, quæ cum sit infinita, nulli se mensurare, qua mensuretur, subjici patitur. Hic autem non nemo in Thomistarum patrocinium excogitavit distinctionem inter mensurabile, & emensurabile docetq; æternitatem mensurabilem esse, id est, quamcunq; mensuram in eam cadere, & hoc modo statuit, lineam infinitam posse ulnâ mensurari, quamvis emensurari non possit concedat, emitiri enim ipsi est extensionem metiendo exhaustire. Verum distinctione hac ad rationis libellum revocatâ apparebit è vestigio, nihil pro hypothesis Thomistarum præsidii inesse ; quod cognitu erit facilius, si ex eodem Autore notaveris, annos, dies & temporis partes reliquas includi in æternitate, quando E. statuit æternitatem posse mensurari, quamvis non emensurari possit, secundum additam hypothesis nihil aliud intelligit, quæm aliquam partem æternitatis i.e. aliquos annos dies &c. mensurari posse, quod nos ipsimet $\alpha\omega\Phi\circ\eta\pi$ largimur, per hoc vero non evictum est æternitatem posse mensurari, ad hoc enim requiritur, ut mensuretur duratio quædam (posito non concessio durationem in mensurâ considerere) principio & fine carens, & qui in linea infinitâ ulo metitur, non metitur lineam infinitam, sed partem illius linea terminis certis inclusam, quos inveniet in primo illo punto, ubi ulo admovevit, & in ultimo punto linea, in quo extremitas ulo substiterit, implicat enim ulnâ, ut re terminabili incipere metiendo in re principio carente, quod si vero quis non incipere

re

359

re possit metiri, neque in æternum metietur. Taceo, mensu-
rari idem esse, quod definitè cognosci, quanta res sit, quæ men-
suratur, notante Pererio l.12.c.10, p. 665. Et sanè tantum abest,
mensurabilitatem absolvere naturā durationis in genere, & Æ-
ternitati competere, ut ne durationis creatæ rationē formalem
cōstituere possit, quia mensurabilitas est posterius quid duratio-
ne, & præsupponit in re jam tum durationem, sicuti mensurable
secundum perfectionem præsupponit habere perfectionem, se-
cundum quam respondere debet ei, ad quod mensurari potest,
mensurable enim ut sic, involvit respectum ad aliud, per quem
id, quod est mensurable, comparatur cum alio secundum ali-
quod tertium, quod utriusque commune est, E. comparatio sive
respe&tus ille ab illo tertio differt utique, hoc enim sine eo esse
potest. E. g. Petrus cum Johanne mensurari debet, secundum
ætatem seu durationem, comparatio Petri cum Johanne in actu
primo est mensurabilitas, ætas seu duratio est illud tertium Petri
& Johannis commune, & ratio illa, & quasi fundamentum ob
quod Petrus cum Johanne conferri potest, duratio autem seu
ætas iu utroque esse potest sine illa comparatione. Quod etiam
agnoscit Joan. Paul. Nazarius in 1. part. Thom. quæst. 10.a. 1 p.
199. D. nomen durationis, inquiens, prima ac propria sua signifi-
catione non importat rationem mensurae, sed rei mensurabilis ratio-
nem, cum prius esse Angeli habeat rationem durationis, quam ratio-
nem mensurae. Multò minus Duratio formaliter consistit in men-
sura activè accepta, nam tunc mensuraret aliquid, aut intra rem
durantem, aut aliquid extra eam, non hoc, quia remoto & de-
struendo omni extrinseco, nihilo tamen minus res adhuc du-
rare diceretur; quod in solius DEI ab æterno ante mundi
productionem citra alicujus extrinseci opem durantis ex-
emplo tam manifestum est, quam quod manifestissimum.
Nec est, quod quis ad actum primum configiat; nam licet
concedamus Durationem DEI fuisse in potentia ad mensu-
randum aliquid extrinsecum; in eo tamen ratio formalis
durationis DEI non constituit, neque jam constituit, si quid extrin-
secum mensuraret, sed id solum ex accidenti ipsi competeteret.
Sic, ut motus seu duratio cœli secundum (communem senten-
tiam) mundi sublunaris durationes metiatur, non tamen per hoc

B 3

dura-

duratio Cœli in suo esse constituitur, ast id est cœlum durat; quia in esse suo permanet, & abolitis omnibus, quorum duratio per motum cœli investigatur & cognoscitur, adhuc cœlum durare posset. Duratio enim alicujus rei est maximè intrinseca, quare nec per extrinsecam relationem constitui, nec tolli potest. Neque suæ causæ meliorem fore conditionem sperandum Thomistis, si ad alterum extremum prolapsi fuerint, statuendo, formale Durationis consistere in actuali mensuratione ejus, quod est intra rem durantem, quid enim respondeant Suario, qui d. 50. secl. 2. n. 7. hac in parte se illis opponit, non habent: Si duratio, inquit, est mensura ejus rei, cuius est duratio, quidnam in illa mensurat? dicetur fortassis mensurare illius esse. Sed contra: nam vel mensurat perfectionem illius esse, & hoc non, tum quia perfectio rei non consistit in ejus duratione, neque inde augetur aut minuitur formaliter loquendo, tum etiam, quia potius perfectio durationis mensuratur ex perfectione ipsius esse, vel mensurat aliam quantitatem ejus, & hoc non, ut per se manifestum est, vel denique mensurat durationem illius, & hoc perinde est, ac si diceretur, durationem esse mensuram sui ipsius, quod dici etiam non potest. Nam, ut notavit Scotus in 2. dist. 2. §. ad secundum &c. mensura semper est aliquid extrinsecum, quo utimur ad cognoscendam rei quantitatem aut perfectionem. sumitur ex Arist. 10. Metaph. c. 2. & 3. dicente mensuram esse id, quo cognoscitur quantum, non cognoscimus autem quantitatem rei per se ipsam, sed per aliam ei applicatam. Unde ibidem ait Arist. mensuram debere esse notiorem mensurato. Quocirca si contingat magnitudinem alicujus quantitatis se ipsa cognosci, verius dicetur, cognosci sine mensura, quam per se ipsam mensurari, aut per se, tanquam per mensuram sui ipsius cognosci. Hactenus Svarez. Habeant E. suam sibi de Durationis formalis sententiam Thomistæ: nihil quidquam ei fundamenti inesse nobiscum sentit etiam Mendoza disp. 17. secl. 1. §. 3.

Th. 13. Alius aliorum circa præsentem materiam prostat. Autorum sentiendi modus, qui uti non adeò multum ab hypothesis prioris deflet, neque maiorem meretur commendationem, nimilrum sentiunt: Durationem esse denominacionem purè extrinsecam. Præsupponunt E. aliquam rem, ut durare possit, debere existere simul cum aliquo extrinseco, tempore scilicet reali, actuali vel potentiali, à quo denominetur: ne autem

59

autem DEUM absque omni coëxistentiâ rerum aliarum ab
æternitate durantium durasse, negare tenerentur, fabulati sunt
tempus quoddam *imaginarium*, quod, definiēte ipso Arriaga, sit ens
rationis sive tempus à nobis fictum successivum ad similitudinem Entis
realis, ut in ordine ad illud tempus fictum explicemus diversitatē dura-
tionum, & ab hoc imaginario tempore DEUM aliaque in æter-
nitate, si quæ darentur, existentia denominari posse, & mediante
hac denominatione D E U M suam nasci durationem profite-
ri non erubuerunt; Sed quis vanitatem hanc non rideret, quis
non videt, Autores hos, contemplando rerum ante pedes occur-
rentium durationes ab extrinsecō cœli motu denominari, alia-
rum durationum eandem esse conditionem arbitratos esse. Sed
fallunt & falluntur, agnoscimus quidem per nostri intellectus
& phantasias imbecillitatem nihil concipi durare, nisi connotan-
do tempus, cui coëxistat, nam permanentia in esse, in quo forma-
le durationis absolvitur, ab existentia saltim ratione differre
mox audiemus; ergo in duratione debet concipi aliquod con-
notatum, quod non concipiatur in existentiâ, hoc autem conno-
tatū accipitur ab intellectu nostro commodissimè per rationem
temporis, quia permanere in esse est habere existentiam, quā res
primò & immediatè habuit ante, ab illo autem existentiæ mo-
mento concipitur res durare, quia illud esse in primo existentiæ
momento conceptum postea servat: at verò ante & post sunt
denominationes temporis. Verum hæc saltim propter mo-
dum concipiendi nostrum ita disputantur, quod autem in hoc
duratione rerum non formaliter consistat, liquet, quia denomina-
tiones illæ temporum ex propriâ Autorum illorum confessione
sunt extrinsecæ, durationes verò rebus insunt extrinsecis om-
nibus sublatis & remotis, sic lapis cessante motu cœli, cessante
quoque hominum intellectu, qui à motu cœli lapidem denomi-
naret, ipse tamen cessare nequaquam intelligitur. Accedit, for-
male alicujus rei primò inesse, denominationes verò non primò
insunt durationi, sed eam præsupponunt: huc maximè quadrant
verba Mendozæ d. 17. f. 2. §. 9. *Prius intelligitur existentia persis-
tere & perseverare cum suo intrinsecō esse, & consequenter durare in-
trinsecè, quam accipere tales denominationes accidentales.* Nihilo
tamen minus non inficias ituri sumus durationem unius rei pos-
se

se plurimum facere ad cognitionem alterius, si scilicet illa sit magis nota, quam hæc, & hoc perspicere est in motu cœlesti compارando eum ad durationes rerum sublunarium.

Th. 14. Verè igitur Duratio definiri potest quod sit Existētia rei continuata: Subtilitatum Magister definit durationem, quod sit continuatus tractus essendi. Pererius l. 12. Phys. c. 5. inquit; Duratio est quantitas, vel extensio seu mora quadam ipsius existentiae Fonseca 5. Metaphys. c. 13 quæst. 12. l. 1. Duratio est continuatio aut permanentia ipsius esse rei. Svarezius d. metap. 50. l. 2. §. 9. durationem formaliter consistere ait in permanentia in existendo. E. in eo amicè conspirant, Durationem formaliter consistere in permanentia ipsius esse rei actualis, vel, ut alii loqui amant, in existentiæ rei perseveratione. Nam si res concipitur, ut est extra causas, & in causis non amplius latet, concipitur ut existens, quando verò concipitur, ut in existendo perseverans, sive in existentiâ permanentis, tunc concipitur formaliter ut durans. Quibus probè intellectis per se non potest non esse clarum & perspicuum, quid sentiendum sit de illa quæstione: num detur duratio instantanea? seu num id, quod est in instanti etiam dicatur durare? negativa enim verissima est, nam quando dicitur duratio instantanea terminis in rigore acceptis, committi videtur; contradic̄to in adjecto, unum enim alterius significationem tollit, per hoc enim aliquid est instantaneum, quod post primum suæ existentiæ momentum esse non retinet, per hoc autem aliquid durat, quod ultra primum existentiæ momentū esse suum retinet. Hinc Mendoza disp. 17. sect. 1. §. 2. durare significat perseverare: Virg. durare & vosmet rebus servare secundie, id est perseverate in labore, at vero perseverare est acceptam jam existentiam retinere, sic dicuntur res plures minusve durare, quia longiori aut breviori tempore retinent esse. In quam sententiam etiam pedibus it Suarius l. c. §. 13.

Th. 15. Minime autem hic susque deque habenda est distinctione, qua Autores distinguere solent durationem in permanentem & successivam; quarum hæc est entium successivorum, quorum partes non simul, sed una post alteram existit, ut motus; illa verò rebus permanentibus propria est, in quibus partes simul existunt. Dicimus vero Durationem ad hæc duo se planè æquivocè habere, cum enim entium successivorum partes non simul ori-

399

orientur, sed p̄petua vicissitudine aliis exortis, aliæ intereant, neque eorum durationes eo, quo pars est modo, se habere, omnibus est apertum, quare nec de utraque nisi per analogiam quan-
dam dici arbitramur: Usu tamen, quem penes est arbitrium & vis
& normal loquendi, receptum esse videmus, ut motus dicatur
durare, quando una pars alii præcedenti successit, quia motus,
qui fuit in instanti præcedenti, & qui modo est, idem quodam-
modo dicitur, quemadmodum partes æquæ in fluvio, quæ modo
præterfluunt, & quæ multis retro annis præterfluxere, idem for-
tiuntur nomen, licet nulla harum partium perseveret. Nisi sa-
tius forsitan dicatur per successionem partium motus durare, ut ita
ipse motus per tropum quendam pro successione partium sua-
rum adhibeat, quemadmodum etiam fluxus aquarum propriè
durare dici posse censemus. Quicquid sit in præsenti intelligim⁹,
durationem permanentem.

Th. 16. Possemus jam ad species durationis facere progres-
sum, verum sunt adhuc, quæ remoram injiciunt, nempe gravissi-
ma quædam controversia, scilicet di&um superius est, duratio-
nem in duobus hisce consistere, in existentia & permanentia, ori-
tur autem disputatio & dissensus inter Autores, num permanentia
existentiæ superaddat aliquid reale, an saltim ratione distin-
guantur? Pro priori sententia videntur pugnare argumenta non
sanè nullius momenti, quæ Autores alias non obesse naris in ejus
tutelam adducere solent. Ruvio 4. Phyc. quæ. 4. n. 52. h. in m.
ratiocinatur. (1) Quicquid est accidens alicujus, id realiter dis-
tinguitur ab ea re, cujus est accidens. Atqui duratio. E. Mi-
norem probat, quia nullares creata durat per suam substantiam,
sed DEUS solus ita durat. E. res creata durat per aliquod acci-
dens superadditum. Consequentiam rursus stabilitum it h.m.
res citra operationem intellectus durat, ergò vel per suam sub-
stantiam vel per accidens, non per suam substantiam. E. per
accidens. (2) Dicit, quod existentia possit separari à Dura-
tione. E. distinguitur ab ipsa realiter. Antecedens proba-
tur, quia res potest in momento existere sine permanentia, ubi
dicitur existere & non durare. Alius movetur his argumentis:
(1.) Hoc, quod est Petrum hodie durare, est separabile ab existen-
tia Petri, quā Petrus existebat heri cum tota sua existentia & sub-
stantia, cum tamē hodie potuit mori. E. duratio hodierna potuit

C

ab

ab ea separari: E. non est realiter eadē cum Petro, alias heri existisset, ubi totus Petrus existit, & omne quod fuit cum eo realiter idē. (2) si plures durationes inter se distinguntur realiter, nēc quæ pluribus diebus existunt, etiā different realiter à Petro, ut pote qui eas habet successivè, & à singulis successivè separatur. (3) Petr⁹ durans hodiè est indifferens, ut duret, vel non duret cras. E. durare hodie, est quid distinctum à durare cras &c.

Th. 17. Sed videamus hæc, non timeamus. Nos nihil minus statuimus, nihil præcluso actu intellectus superaddere existemus, cuj⁹ respectu ab ea distingvatur realiter; quod in DEI duratione tam clarum est, ut qui in eo probando operosus esset, sollem facibus juvare conaretur. De duratione autem creata id probatum dare haud difficile censemus (1) quia sola existentia perseverante, secluso omnibus aliis, res se ipsa durat, E. duratio ab existentia non distingvitur. (2) Si duratio esset modus super additus existentiæ, ut Ruvio vult, i. aliquid reale, illud etiam perseveraret, & sic haberet durationem, aliudq; reale vel modū superadditum, & sic fenestræ aperirentur processui in infinitum à quo sana Philosophia abhorret. (3) Sanè si existentia & duratio realiter different, DEUS per suam absolutam potentiam posset ea à se invicem separare & se jungere, & rem quandam in existendo conservare, quæ non duraret, quod è numero adūlteretur esse autem amus, vid. Pererium l. 12. c. 5. p. 653. Addo Existentiæ ad durationem à quæ se habere, ut producio ad conservationem; quare sicut conservatio à productione, ita duratio ab existentia saltim ratione distinguitur, quia duratio & existentia dicuntur esse termini conservationis & productionis. Hinc etiam sit, ut idem sit querere, quamdiu res duravit, ac querere quamdiu exsistit.

Th. 18. Ad arguments pro contraria sententia quæ allata fuerunt, respondere non est ire per extensum funem, videamus E. quid habeant in recessu. In 1. Ruvii neganda est minor non enim solus DEUS per suam substantiam durat, sed etiam creaturæ, quippe quæ perinde ac DEUS non per accidens aliquod, sed per esse suum proprium, quam diu hoc retinet, durat. Quod autem à quibusdam dicitur solus DEUS per substantiam suam durare, mens eorum hocredit, quod duratio illi ita fit essentialis;

ut

ut non possit non durare, sicut etiam existentia DEI & ipsius substantia, quia ita existit, ut non possit non existere; at vero sic duratio non competit ipsis creaturis, ut creaturæ non possint non existere, sed contingenter existunt. Secundum quod attinet respondet ad illud Morisanus Disp. 6. q. 1. His verbis: *nego conseq. quia sic etiam potest separari creatio à conservatione, ut in casu proposito, cum tamen sola ratione distinguantur.* Unde argumentum tantum probat distinguiri ratione saltem, neque propriè existentia potest separari à duratione tantū, & seorsim reperiri, sicuti animal non potest separari ab homine, quia homo essentialiter includit animal, scilicet sibi identificatum, sed potest seorsim reperiri scilicet in equo. Unde talis separation non est signum distinctionis realis. Fundamentum hujus responsionis nititur canone illo in Schola Dialectorum receperissimo: *Genus à specie sua non realiter differt: cum E. existentia ad durationem per modum generis se habeat, ut suprà videntur, negandum est, quod hæc duo à se invicem differant realiter.* Dicis: *Existentia nihilominus potest esse, ubi non adest duratio.* Et Canon ille intelligendus est de Genere ad certā speciem jam tum adstricto e.g. animal ab homine non potest separari, à quo etiam non realiter differe dicitur omnium Logicorum suffragio, non obstante, quod homo differat ab animali quod identificatum est cum equo. Sic existentia idem est cum duratione, non prout existentia inest instantaneæ existentia, & ad eam restricta est. Sed quatenus ad durationem, tanquam ad speciem per permanentiam contrahitur, & sic cum ea est realiter idem.

Th. 19. Antequam ad reliquorum argumentorum salvationem nos conferamus, unum atq; alterum ex antecedendo, præmonere juvat, nēpe quod hīc loci sermo sit de duratione abstractivè; cras, heri &c. dicuntur conditiones differentiales temporis. Deinde revocandū hīc in memoriam, denominations illas externas, ut quando aliquid dicitur hesternum, hodiernum, crastinū, non pertinere ad durationem formaliter, sed aliquid dicitur heri durasse, quando intelligitur & cōsideratur, quod motui solis heri supra horizontem commorantis coëxstiterit, hodiernum. aliquid dicitur, quatenus hodiè illi coëxistere concipitur &c. Potest enim aliquid durare duratione propriè sumta i.e. esse suum recipere, etiam si Solis motus & denominations illæ re-

C &

motæ

motæ & è medio sublatæ fuerint. Jam facilis adicvis & expeditus est ad solutionem horum argumentorum. Nim. ad 1. dico concedendo, quod duratio hodierna ut sic, quatenus est externa quædam denominatio possit à Petro ejusq; existentiâ separari, per hoc autem non evincitur, quod duratio Petri à Petro possit separari, illâ enim sublatâ Petrus cum sua existentia non potest non tolli. Sin verò duratio Petri hodierna consideratur quatenus duratio est, negatur antecedens, quod id, quod est Petrum hodie durare, sit separabile ab existentia Petri, quâ heri existebat. Quod autē dicit posse Petrum hodie mori: Ex per hoc, quod hodie moritur, non separatur duratio illius ab existentia, quin potius duratio simul cum existentia tollitur, quæ ne ad momentum temporis sejunctorum esse possunt. Et re probè expensâ, non minus illa denominatio ab heri, & hodie à duratione Petri separatur, quam ab ipso Petro. Ad 2. ubi dicitur, si plures durationes inter se distinguntur realiter, etiam eas differre realiter à Petro. Ex. Si sermo est de plurium rerum inter se distinctarum durationibus, negatur Conseq. Sin vero de unius ejusdemq; rei durationibus; negatur antecedens: unius enim rei non plures, quam una datur duratio: quando autē Autor ille dicit, durationes illas pluribus dieb⁹ existere, & Petro successivè competere, errat propter præconceptā hypothesin, durationem alicujus rei esse nihil aliud quam denominationes externas à diebus; quod falsum esse supra ad nauseā dictum. Non enim aliter se habet duratio ad temporis partes successivas, à quib⁹ denominari potest, quam arbor vel lignū quoddam fluminis fundo affixum, nō plures & diversas nanciscitur arbor durationes à diversis aquæ partibus successivè præterlabentibus, duraret enim, etiamsi aquæ nō præterlabetur. Neq; per ultimū arg. aliquid proficit, nihil enim aliud hoc ipso evincit, quam quod j̄o cras durare nō necessario cōpetat Petro, cuius ratio non est, quod Petri duratio possit à Petro separari, nam posito, quod Petrus cras existere debeat, duratio craftina ei non est indifferens, sed necessaria; Aut si argumentatio hæc legitima est, possem eod. modo colligere: Petrus existens hodie est indifferens, ut existat, vel non existat cras, E. existentia Petri à Petro differt & distincta est realiter. Stat igitur & in æternum statbit

bit inconcussum, firmum, fixumque existentiam rei & durationem ejus realiter non differre, sed sicut in ratione ratiocinata.

Th. 20. Supereft, ut tribus quoque verbis de durationis hactenus explicatae distinctione aliquid addamus. Vulgatissima & omnium pariter suffragio introducta videtur distinctio, quæ durationem in tres species dispescit, quarum unam Autores appellant increatam, reliquas duas creatas. Increatam vocant Aeternitatem soli DEO propriam, estque duratio principio & fine carens. Creatarum alteram Aevum constituunt, quæ describitur, quod quidem fine careat, gaudeat nihilominus principio, Angelis cum primis convenientes: alteram vero Tempus esse dicunt, quod principium & finem agnoscit. Quæ quidem distinctio ad Lydium lapidem examinata suos patitur manes: per hoc enim, quod omnem Aeternitatem increatam velint, ab aureo veritatis tramite ab ludere constabit luculentius, ubi in ita, creature quoque aeternitatem non repugnare, probatum dedecimus. Sin vero aeternitatem eam de causa increatam appellari, quia de facto nulla creata reperiatur, nos non habebunt dissentientes. Deinde haec distinctio quoque in aliquam bonæ divisionis legem impingere videtur, desiderari enim potest una species, nempe Aevum à parte antea, quod in eam creaturam locum habuisset, quæ ab aeterno creata, in tempore vero annihilata fuisset.

Th. 21. Nec defunt præterea, quæ huic divisioni secundum impingere posse videntur; nempe i. Aevum & Tempus videntur constituere partes Aeternitatis, sicuti hora die pars est, quæ sicuti aliquam partem durationis diurnæ absindit, & non constituit distinctam durationis speciem à die, ita quoque Aevum & Tempus sese habent, quod quandam Aeternitatis partem absindunt. Nam alias est impossibile duas durationes esse simul, nisi una sit alterius pars; veluti non sunt simul duæ horæ, aut duo dies. at hora & dies simul esse queunt. Quo etiam collineat Cicero, quando i. de Invent. ait: *Tempus esse partem Aeternitatis, cum annui, mensium, diurni nocturnique aliqua significatione.* Ad hoc dubium tollendum respondetur, de Aeternitate nos posse bifariam loqui, uno modo, quoad id, quod convenit ei à parte rei, ubi in Aeternitate non includitur successio & defecabilitas,

adeoq; nec tempus, nec Ævum. Alio modo quoad imaginariam successionem, quam nos in eadem apprehendimus, & sic dici potest, Tempus & Ævum partes esse illius imaginariæ successionis: Quem in sensum Cicero intelligi debet. Quando jam dicuntur, quod duas durationes non possint esse simul, Thomas p. 1. q. 10. art. 4. ait, id intelligendum esse de mensuris ejusdem generis, quales non sunt Tempus & Æternitas. II. Distinctionem hanc oppugnat Aureolus apud Capitulo 1. d. 9. art. 2. dum omni contentione obtinere collaborat, Æternitatem non esse speciem durationis, quia permanens ad essentialē conceptum Durationis pertinet, quæ sine continuatione plurium instantium, h. e. successionis vix intelligi possit; quæ continuatio plurium instantium cum sit successio, in Deo dari non potest: & consequenter Æternitatem, quæ in Deo reperitur, non esse durationem, quia hæc quandam successionem involvit. Rz. Falsum esse, successionem esse de ratione formalis durationis, nam permanentia ut sic, non importat de se successionem, sed negationem desitionis. Aureolo E. opponimus Suarezium hac de re c. l. sect. 5. assert. 2. h. in m. philosophantem: Non solum Durationi ut sic, verum etiam nec durationi creatæ repugnat, ut sit permanens, carensq; vera & intrinseca reali successione. Probatnr, quia non repugnat dari esse existentia, in quo nulla sit realis varietas aut successio, ut de divino esse est evidentissimum & certissimum, E. non repugnat dari durationem, in qua nulla sit realis varietas aut successio &c. Sic notum est, dari entia creatæ, permanentia multo tempore absq; ullâ variatione in esse vel substantiali, vel aliquo accidentaliter. Hæc Suarezius. REGERIS: Nos etiam durationes permanentes, immo ipsam æternitatem concipere, tamen quam aliquid successivum & fluens, ut cum DEUM hucusq; manisse, & in æternum mansurum, Angelum, item & hominem a certo aliquo tempore hunc in diem extitisse apprehendimus. Rz. Gratulor quod dicas, nos hoc ut fluens & successivum concipere, nec affirmes te ipsa se ita habere: Intellectui igitur ejusq; tarditati & imbecillitati hoc acceptum feras, hic omnem durationem ad modum durationis successivæ & continuæ concipit, utpote aliam quamq; temporis motum sibi omnium notissimum imitari persuasus. III. Distinctionem illam insufficientiæ incusari posse

vi-

videtur, adducunt enim non nulli aliam speciem durationis, quam Morisanus l. c. q. 4. tempus discretum vocat, dicitur autem discretum, quia componitur ex diversis moribus, sive momentis correspondentibus diversis operationibus Angelorum, intellectus scilicet & voluntatis: haec igitur mora est indubie duratio quaedam, & tamen non est duratio ævi, quia talis actus sunt defensibiles, & sicuti incipiunt, ita iterum definunt; Neque dicendum durare eos tempore, nam tempus intelligitur de continuo, quia autem operationes Angelicæ, & etiam animæ nostræ rationalis sibi succedunt, unum tempus discretivum constituere dicuntur, quemadmodum plures unitates sibi succedentes numerum. Ex. Sicuti in ipsis durationibus est unitas quaedam per aggregationem, adeoque plures entitates, ita etiam esse plures durationes: tota igitur durationes importat tempus discretum, quod entia. Atque haec durationes seorsim sumunt, sub tempore continentur.

Th. 22. Ejusdem propemodum farinæ est dubium aliud diu satis agitatū inter Autores: an scilicet Visio beatifica Æternitatis Divinæ, in qua Sanctorum gloria consistit tempore l. ævo, latenter nitate fiat? Thomas i. part. q. 10. a. 5. it. 3. contra Gentes c. 61. & 4. sent. d. 49. afferit, hanc visionem beatificam Æternitate mensurari: Cui adstipulatur Anton Ruvio 4. Phys. tract. post. de Tempore n. 83. Scotus autem in 4. sent. dist. 49. q. 6. in responsione ad secundum dubium opinatur visionem beatificam Angeli mensurari ævo, perinde atque ipsum esse Angeli. Pererius l. 12. de temp. c. 8. media videtur incedere viæ. Cujus controversiæ enodationem excludere videtur chartæ angustia, quare eam conflictui referimus, ubi mentem nostram rogari aperiemus.

Th. 23. Quæ hactenus proposita sunt, communioris Æternitatis conceptus ergo allata fuerunt, quo obtento, DIFFERENTIA investiganda restat; quæ varie à variis explicari solet. Præstare autem eorum opinionem arbitramur, qui differentiam in eo collocant, quod æternitas careat utroque termino, ut æternum sit, quod principio caret, ut nec incepit, & fine, ut nec definit. Alii autem differentiam Æternitatis in eo querunt, quod Æternitas sit duratio permanens, aliae autem omnes ipsis dicuntur successivæ. Nos vero, ut modo dictum, iis subscribimus qui diffe-

differentiam ejus constituunt in interminatione seu carētiā eterni, tam à parte antē, quām à parte pōst. Idque exinde dispālescit, quod scilicet per interminationem sufficienter Āternitas ab Āvo & tempore distinguitur. Integra E. definitio tribus absolvi verbis potest : **ĀTERNITAS EST DURATIO INTERMINABILIS.**

Th. 24. Tò *Interminabile* quamplurimi, è quorum censu etiamsunt B. Scheiblerus & Ebelius, ita interpretantur, ut āternum sit id, quod nec principium, nec finem habet, nec habere possit: unde dicunt, si vel maximè aliqua creatura ab āterno fuisset producta, non posset dici āterna, sed potius *ex āterno*, vel āternitati coexistere, quia talismodi creatura naturā suā esset defectibilis & definere posset. Ab hac sententia neque ipse Svarezius alienus est. Quid hac de re sit tentiendum, antequam dicamus, lūbet, prius qua fieri potest brevitate, expendere illam quæstionem, an aliqua Creatura ab āterno esse posset? qua re & è perspecta, hæc, & innumeræ disceptationes conslopitu erunt faciles.

Th. 25. Tot autem sunt, & tam varia Philosophantium in hac controversia sententiæ, ut ferè dixerim, hunc unum esse inter eos consensum, nihil inter se consentire. Sic impossibile esse judicant, creaturam esse Creatori coævum Albertus in 2. sent. dist. 1. art. 6. & 10. Bonavent. c. 3. Toletus l. 8. Phys. c. 2. q. 2. Alii tamen docent, ab āterno aliquid à Deo produci posse, & creaturam esse āternam non involvere rationes contradictiones. Sed etiam hi Autores in diversas abeunt partes, quidam hoc concedunt tantùm de creatura incorruptibili, ut Durandus 2. sent. d. 1. q. 2. Alii de incorruptibili & corruptibili, sed permanente, ut Thomas p. 1. sum. q. 46. a. 2. Argentina 2. sent. dist. 1. q. 2. art. 2. Gabriel Biel ibid. q. 3. Rutgersius Metaph. l. 2. cap. 8. Masius l. 8. Phys. c. 1. & 2. q. II. Alii de Creaturā tam permanente quām succesiva, exceptis generationibus substantiarum & accidentium, inter quos est Gabriel Vazq. p. 1. sum. Disp. 127. c. 5. Alii etiam de generationibus & corruptiōnibus inferiorum rerum: cum quibus facit Hervæus l. 2. sent. d. 1. art. 2. Javellus l. 12. Metaph. q. 14. conc. 4.

Th. 26. Et quidem Creaturam posse ab āterno esse probatur, quia hoc nec repugnat ex parte DEI, nec ex parte Creaturæ.

nec

nec ex parte productionis. Non ex parte DEI, quia ab æterno
is fuit omnipotens, ergo ab æterno potuit creare, simili ratione,
si Sol ab æterno fuisset, producere potuisset lumen in aëre sibi
coæsum & ignis, si ab æterno fuisset, splendorem sibi coëxisten-
tem habere potuisset. Jam si creatura cum effectu potest esse
simul, etiam istud poterit DEUS, cum DEUS non minus poten-
tia habeat ad productionem creaturæ, quam creatura habeat ad
productionem proprii effectus. Neque repugnantia est ex par-
te Creaturæ, quia quicquid DEUS ab æterno potuit velle, id ab
æterno potuit producere, sed creaturam ab æterno potuit velle,
E. creaturam ab æterno potuit producere. E. creatura quoque
potuit produci. Neque hoc repugnat ex parte creationis, quia
creatio est facere ac fieri indivisibile ac momentaneum, quando
autem facere & fieri indivisibiliter, ac tota simul sunt, tunc face-
re, fieri ac factum esse etiam simul sunt, & consequenter effectus
non est duratione posterior ipso facere vel fieri. Unde tale pro-
pululat argumentum: Quod habet esse à sua causa per fieri in-
divisibile ac momentaneum, illud, si causa causat ab æterno, po-
test etiam esse æternum. Creatura habet esse à DEO per fieri
indivisibile & momentaneum. E. Creatura, si DEUS causat ab
æterno, potest etiam esse æterna. Ea omnia, quæ hic objici pos-
sunt ex Moriano aliisq; non tangemus.

Th. 26. Hac quæstione præmissa dicimus, Creaturam ab
æterno factam posse dici æternam, licet à Creatore dependeat.
Etenim si eum, qui ante biennium natus est bimum, ante trienni-
um trimum, quadriennium quadrum reget dicimus, cur is,
qui ab æterno factus, æternus dici nequeat? Maximè cum usus
ita obtineat. Pro qua sententia tale pronascitur ratiocinium.
Quod nec incipit esse, nec aliquando definit esse, id omnino dici
potest æternum; Sed Creatura, quæ ab æterno produci potest,
nec incipit, nec definit esse E. Creatura, quæ ab æterno produci
potest, potest dici æterna. Minor ex dictis patet. Major quoq; sua
luce radiat. Neq; non posse habere initium & finem, & ita sim-
pliciter interminabile esse spectat ad rationem Æternitatis ut
sic, sed saltim pertinet ad talēm Æternitatem: nam quod ab in-
trinsico æternum est, ab intrinsico etiam est immutabile, quod
vero ab extrinsecō in æternitate factum est, ab intrinsecō sit im-

D

muta-

mutabile, sed sufficit, si in Aeternitate, in qua est, immutatum permaneat.

Th.27. Quo autem Natura Aeternitatis eò clarus protrahatur in lucem, de re esse censemus quæstionem illam movere: an æternitas sit purè absoluta & realis, an vero in ratione sua formalis respectum rationis includat, & ideo dicatur complementum essentiale ab intellectu nancisci? Posterius sensisse dicitur Ferrariensis 1. lib. cont. gent. c. 15. Albertus M. in 1. dist. 9. art. 8. & lib. d. 4. coævis q. 3. art. 1. Henr. in sum. art. 31. q. 2. Gabriel Vazquez 1. part. disp 31. & disp. Met. 21. c. 5. Hi Autores pro suâ sententiâ confirmandâ ita ratiocinati fuerunt. Aeternitas est duratio sine principio & fine, sed non habere principium, nec finem dicit negationem, & negatio formaliter est ens rationis. E. Aeternitas in sua ratione formalis includit aliquid rationis.

Th.28. At enim vero hæc sententia admitti non potest, nam quicquid est imperfectum, illud in ratione formalis æternitatis includi nequit: Atqui respectus rationis est imperfectum quid, E. in ratione formalis æternitatis involvi nequit. Major claret. Minor probatur, quia respectus rationis à mentis nostræ operatione dependeret, & sic Aeternitas ultimum complementum ab intellectu nostro acciperet, quod aliquam imperfectiōnem arguit. Accedit, si ab intellectu ultimum complementum suum nanciceretur æternitas, non daretur æternitas ullius rei, neque iphus DEI ante operationem intellectus, quid autem esset blasphemare, si hoc non est? Dicis: Tempus accipit suum ultimum complementum ab intellectu, Ergo etiam Aeternitas, quia utrumque est quædam Durationis species. R. Neg. Conseq. Non statim quod uni speciei competit, etiam alteri adscribi debet, ut ut E. temporis complementum proficiatur ab intellectus actu, non ideo colligi debet ad Aeternitatem, quod & ipsa suum complementum accipiat ab intellectu. Sciendum propterea, quod in tempore duo sint consideranda, 1. materiale, 2. formale. Materiale est motus cum insita vi mensurandi, quæ à parte rei est in motu nempe cogitante. Alterum est formale, quod consistit in discretione partium motus secundum prius & posterius. Quoad materiale tempus non dependet ab anima,

ab

ab ea tamen dependet quoad formale, h. est. quoad certam & determinatam distinctionem intervallorum, tempus est ab anima, hoc enim partes in motu à se invicem discernit.

Th. 29. Ad argumentum pro contraria sententia adducum respondet Mendoza disp. Metaph. 17. de durat. sect. 4. §. 27. Libenter, inquit, admissit aeternitatē esse quidditativē expertem initii & finis; at non arbitror hoc esse negationem, sed conceptum positivum. Quia habere principium & finem est conceptus privativus, additum rei incipienti, & desinenti, E. carere principio & fine non erit negatio, sed positivus conceptus. Consequētia est clara, quia negativo conceptui opponitur immediate conceptus positivus, ut lux tenebris; at carere initio & fine, contradicit rei initium habenti & finem &c. Antecedens probatur, quia Aeternitas excludit carentiam existendi, quam dicit initium, idem patet de desitione. Ergo habere initium & finem connotat carentiam existentiae; Econtra vero carere initio & fine erit perpetuo durare. Hæc Mendoza. Cui adjungēdus est omnino Ruvio l. 4. Phys. q. 4. n. 78. usq; ad fin. quæst. p. 415. uberioris tradit & ad vivum refecat.

Th. 30. Aeternitatis in genere & præcisè consideratae quiditate in luce sic satis feliciter protracta, non possumus, quin paucis de AETERNITATE DEI delibemus. DEUM esse aeternum non tantum ex lumine Revelationis, utpote ex Gen. 21, 33. El. 40. 28. Ps. 93, 2: Sed etiam ex lumine naturæ cognosci possumus, & præprimis ex eo, quod DEUS est ens primum, & ante omnia, Ens primum autem debet esse aeternum, nam si aliquando non fuisset, tunc aliquando omnino nihil fuisset, & per consequens nec nunc aliquid esset, cum nec à se ipso positivè quid secundum idem esse, nec ab aliō, si nihil fuisset, produci potuisset. Deinde h. m. probatur Q. simpliciter est immutabile, id etiam verè ac propriè est aeternum: Atq; DEUS est simpliciter immutabilis. E. DEUS est verè ac propriè aeternus. Quod etiam ipsum Aristotelem cognovisse appareret ex lib. 12. Met. c. 7. ubi DEUM vocat Ζῶον αἰδίον, vivēs aeternum, additq; Ηγῆ αἰών συνεχῆς Ηγῆ αἰδίος ὑπάρχει Τῷ Θεῷ h.e. avum continuum & sempiternum DEO inest. Huc pertinet, quod 8. Phys. d. 49. primum movens (quod Aristoteli est DEUS) αἰδίον seu aeternum esse dicit.

Th. 31. Est autem Aeternitas in DEO non aliquid accidens,

19.

dens, sed ipsa DEI substantia. Nam æternitas est duratio, sicut autem alias ea est ratio durationis, ut non differat à re durante realiter, sed sit ipsa rei durantis existentia cum permanentia quadam, ita multò minus Duratio divina, seu Æternitas erit accidentis ab essentia divisum, ut ita æternitas DEI nihil aliud dicatur, quam essentiam vel existentiam DEI permanentem, cum negatione principii & finis ejusdem, tam actualis, quam possibilis à nobis conceptam. Hinc Thales Milesius quærenti quid esset DEUS? rectè respondit μητ' αρχὴν ἔχων, μή τοι τέλος. Quod autem nos plerumque in æternitate concipimus aliquod initium, quod concipimus eam tanquam successivum & fluens aliquid, hujus rei reddit rationem. B. Hornejus Disp. 3. sect. 2. de ætern. §. 69. totum id fieri propter imperfectionem intellectus nostri, & ideo fieri, quod omnem durationem in universum ad modum temporis, seu durationis successiva, & continua concipiamus, quia sola ista in sensu incurrit. Quodigitur ejusmodi successionem etiam in aliis durationibus imaginamur, ens & figuratum ratione tantum est. Id quod ex lumine naturæ agnovit Plato, quādo in Timæo scripsit: *Hec omnia erat, & erit pars temporis sunt, quæ nos per imprudentiam transferimus ad æternam illam essentiam minus rectè: Dicimus enim erat, est, erit. At illi jō est tantum juxta veram rationem competit: Jō erat autem & erit de generatione dicendum est, quæ est in tempore, quod autem semper eodem modo & immutabiliter se habet, id nec senescere nec juvencere convenit.*

Th. 32. Dicatur porro DEI Æternitas indivisibilis & tota simul, quæ posteriora verba in describenda DEI Æternitate ubique adhibita reperiuntur, sed dici non potest, quomodo Interpretum ingenia exerceant: re&iu;s autem se habet eorum expositione, qui ea non tam æternitatem DEI ut sic, quam ejusdem immutabilitatem & invariabilitatem exprimendi gratiâ adhibita esse autumant, non vero, quo significet omnes temporis differentias simul in æternitate coexistere; imprimis vero placent, quæ Gassendus ad verba illa Platonis superius in præced. §. commentatur in Phil. Epic. cum Plato, inquit, præteritum & futurum negat; concedit vero solum præsens, seu vocē EST æterne substantiae, illum eo fine id facere, ne cum dixerimus fuit, intelligatur amplius non esse, ut cum dicitur: fuit Ilium, & ne cum dixerimus e-

715

rit, significetur nondum esse, ut cum dicitur: erit tum typhis alioq;
id genus similia. Sed nonne possimus revera dicere fuit, modo intelli-
gamus eandem omnino jam perseverare, quæ antea semper fuit; ita
tempoq; erit, modo intelligamus talem ab ævo, ac etiamnum esse, qualis est
perpetua futura. Quippe hoc tantum Plato cavet, ut mutationes,
quæ cadere in res generabiles & corruptibiles solent, ab Ente aeterno
i.e. DEO arceantur, utq; illum non habeamus ὅτε πρεσβύτερον, ὅτε
νεωτέρον, neq; seniorem, neq; juniorum. Nempe, ne talis intelligatur,
qui aliquas vires, aut senior jam amiserit, aut junior nondum accep-
erit. Censet proinde illi propriè convenire ipsum EST, quia semper
idem prorsus est, sive easdem semper dotes habet, neq; ullum momen-
tum est in amplitudine tota finiti temporis, in quo dicere liceat:
ecce, jam habet aliquid, quod pridem non habuerit, aut aliquando sic
habicurus; sed habet simul, quicquid in toto simul tempore, cum ipse
temporis progressu nihil adjiciat, (ut facit in ceteris rebus, quæ muta-
zioni obnoxiae sunt;) ac proinde jure dicatur Platonis ἔχων ἀκινήτως
habens se immobiliter, & ut Plotinus θεός εἰ τῷ καὶ constanter in
vita, Hæc Gassendus. Hoc urget Laudatus Autor, quod non
absolutè negandum sit, dici posse: DEUS fuit, DEUS erit, illud
autem assertere cum intempestiva religione non posse contradic-
tionis laqueum effugere, nam DEUS fuit, aut DEUS non fuit,
item aut DEUS erit, aut non erit, non hæc E. illa. E. velint, no-
lint concedant oportet DEUM fuisse & etiam futuru esse: modo
omnis in cognitione DEI, ut ita loquar, præteritionis aut futuri-
tionis imperfectio & debilitas videtur. Quod, ut fiat clarius,
sciendum, phrasin illam, DEUS fuit, duplum importare posse
significationem: primò DEUM fuisse, & jam non esse, & hæc si-
gnificatio ferè obtinere in quotidiano sermone videtur; secun-
do DEUM fuisse & etiamnum adhuc esse: & videtur eandem
forte experiri phrasin hanc, quam illa, cum dicitur, DEUM pos-
se esse, ubi, ut plurimum, sed falso, solēt eam arripere pro; DEUM
potest: à esse, quamvis immane quantum à se invicem distent. I-
dem sentiendum est de phrasi DEUS erit.

Th. 33. Interim denominations illas aeternitati ni-
hil addere, nihil demere certum est: Aeternitas enim non
major est modo, quam fuit ab initio mundi, nec major post in-
finitas annorum myriades. Quod egregiis similibus solet des-

pingi. Audiamus hac in parte pulcrè differentēm Heerboort Batavicum Philosophum novellum : ponamus vero, dicit, ne aliquo modo hoc arduum negotium adumbremus per imaginationem, unum hominem esse vieturum centum annos, & in primo instanti simul habere totum illud, quod per centum annos habiturus esset, ille homo dicitur coexistere illi tempore centum annorum, quia in quocunq; anno illorum esset praesens. Et potest alio simili illustrari : quemadmodum punctum, quod est in centro corporis sphaericī, dum movetur corpus, est praesens, ac coexistit omnibus punctis in circumferentia existentibus, sed illa puncta circumferentiae cum inter se distent, non sibi coexistunt in circumferentia, ita eternitas omnibus variationibus temporum coexistit, licet ipsa tempora non coexistant sibi, & sic dicimus omnia tempora esse presentia eternitati, licet quoad nos varientur & tempora & res in tempore, sicut illi punto centrali omnia alia puncta, sed variata, sunt presentia. Hunc in modum labenti infirmoq; nostro succurrere possumus iudicio. Quæ probe observata faciem non despiciendam præferent in quibusdum alijs sat difficultibus Scripturæ locis enodandis & interpretandis, ita enim dicitur Apoc 1. v. 8. Ego sum α, & ω principium & finis, dicit Dominus, qui est, qui erat & qui venturus est. Exod. 3. 14. Ero qui ero, It: ψ. 2. v. 7. legitur: Dominus dixit ad me; Filius meus es tu, hodie genui te &c.

Th. 32. Ex hisce insimul dispalescit, nullius esse momenti quæ Vorstius, Atheismum quo propagaret suum, circa præsentem materiam urgere solet, ut ut sibi videatur reperisse non quod pueri in faba: quando enim dicitur *tota simul*, non intelligendum, quasi singulæ temporis partes seu differentiæ simul inter se existerent, ut idem sit præteritum, præsens, & futurum, quem sensum fingit hic Vorstius, sed quod singulæ temporis partes, quando actu sunt, æternitati coexistant, præteritum, quando præsens erat, æternitati coexistebat, præsens, quando præsens est, æternitati coexistit, futurum, quando præsens fiet, æternitati coexistet. Et sicuti DEUS Æternus propter immensitatem essentiarum suarum, totus præsens est, tum omnibus rebus, tum unicuiq; earum singulatim, sed unitamen, ut ea est in hoc, alteri, ut est in alio loco, nec propterea res ipsæ sibi quoq; inter se sunt præsentes; ad eundem modum Æternitas DEI coexistit omnibus temporis differentiis & una cuique carum singulatim tota,

ccc

nectamen propterea differentiae istae inter se simul sunt, sed quatenus sibi invicem succedunt. h. est, aliud præteriit, aliud adhuc est, & aliud deniq; futurum est: sic tota coëxistit huic diei, quatenus is nunc est, totaque crastino, quatenus ille cras est, &c. Planè ut essentia DEI præsens est Petro, dum est Jenæ & simul Paulo, dum est Lipsiæ, & tota quidem utriusque, quamvis Petrus Paulo tum non adsit. Et sicuti DEUS in omnibus locis totus est, non secundum partes suas, quas non agnoscit; ita Æternitas ejus est Duratio ejusmodi, quæ ita semper est, ut simul tota semper sit, & non est duratio in fluxu posita, in qua præter id quod transit, semper adhuc aliquid futurum sit.

Th. 33. Nec quicquam obtinet Vorstius, quando objicit, h. m. DEUM posse efficere, ut præteritum non sit verè præteritum, futurum non verè futurum, nam illud jam non amplius est, hoc verò nondum est, & tamen utrumq; præsens est in æternitate, si ubicunq; æternitati coëxistit: Ex. tum sequeretur hoc, quod Vorstius intendit, si statueremus, Æternitatem coëxistere omnibus temporis partibus & differentiis simul sumtis & simul existéntibus, hoc verò non affirmamus, sed volumus coëxistere iisdem partibus divisim sumtis & sibi invicem succendentibus. Sic totum cœlum, quantum est, coëxstitit Abrahamo, & post aliquot annos eō mortuo coëxstitit Josuæ, & eō etiam mortuō coëxstitit Davidi, & sic deinceps, nec tamen sequitur, Abrahamum, Josuam & Davidem simul exstuisse.

Th. 34. Pergit in sepius Vorstius dicendo: hoc modo sequeretur etiam ipsas temporum differentias inter se coëxistere, v.g. primum hujus mundi annum, quo creatus est Adamus, esse hunc ipsum præsentem annum, in quo nos jam vivimus; imò quemvis diem præteritum adhuc verè præsentem, & quemvis futurum simpliciter præsentem esse, eoquæ nullum verè præteritum aut futurum esse. Nam quæ unius tertio eadem sunt, inter se quoque eadem sunt. Ast Vorstius eadem chordâ semper obrat: Licet enim Æternitas coëxistat hodierno diei indivisibiliter, etiam crastino diei, non tamen sequitur, crastinum esse hodiernum, propterea, quia non coëxistit hisce duobus diebus simul sumtis, sed divisim sumtis, licet ipsa Æternitas maneat indivisibilis. Annus itaq; hujus mundi primus non est annus præsens ob eandem rationem jam allatam.

Th. 35

35. Proporro objicit : Quod Scriptura differentias temporum ipsi DEO perspicue adscribat. Nam Apoc. i. v.4. vocatur DEUS is, qui est, qui erat, & qui futurus est. Dan. 7. v. 13. DEUS appellatur antiquus dierum, quasi diceret, antiquissimus ille dierum, qui ut semper fuit, ita semper erit. Psal. 102. v. 28. DEO etiam anni sui, sed nunquam finiendo adsignantur. R. Scripturam sicut in rebus ceteris, ita in hac quoque captui nostro sese adtemperat, & durationem aeternam, atque indivisibillem per differentias temporis, tanquam res nobis notiores proponit, licet revera differentias ejusmodi, aut ullam Successionem Aeternitas non habeat.

Th. 36. At nondum omnis difficultas est superata. Nam à nonnullis hoc objicitur : Si DEUS est aeternus, sequitur, quod vel ab aeterno aliquid egerit, vel quod fuerit otiosus: neutrum dici potest. E. non est aeternus. Nam quod ab aeterno egerit aliquid, probari nequit, quod fuerit otiosus, sine absurditate dici non potest. R. N.C. potest dari tertium, quod DEUS nihil egerit ad extra scilicet : Etenim nihil agere & otiosum esse non sunt idem, ut enim quis dicatur otiosus, requiritur, ut nihil agat, cum tamen possit & debeat aliquid agere : DEVS autem nullā lege ad aliquid agendum ab aeterno obligatus fuit, non igitur fuit otiosus, sed nihil egit ad extra, Tantum.

S. D. G.

